# Quaestio Medica

## Quodlibetariis disputationibus agitanda In Scholis Medicorum, die Jovis 10a februar.

## M. Nicolao Lambert Doctore Medico, moderatore prudentiss.

### An Diaeta naturam Immutat?

Ut caeteris animalibus corpus animae moribus aptum, Ita homini temperatissimo, temperatissimum à natura concessum est. Quod cum ex fluxis humilibusque principiis oriatur, fecundo scilicet utriusque parentis semine, enutritur, purius, sanguine depurato, caeteris quam illi animalium magis affluentis, et sanguinis menstruo, soli Intra foeminas muliebri (quae viro salacior est) proprio, quam plurimis mutationibus obnoxium est. Neque enim solum ab hostibus domesticis vitam alioqui fluentibus paulatim corroditur, sed Ita externarum rerum fluctibus Jactatur, et quam ab ortu actionum suarum causam accepit temperiem, eandem In longum aevum retinere non possit.

Calor enim solidis partibus Insitus suam semini totius vitae et affectionis seminali acceptam fibris originem dum nativum humidum nulla reparatione (?) aut perpetuo absumit, primo quidem magis siccat, tum pabuli penuria factus languidior, tandem contabescit. hinc multiplex temperamentorum quatuor aetates totidem humorum alumnas designantium varietas emergit, Nam et pueritia Juventa Impatiens, calida humida, Ita senectus vini generosi potu fovenda, frigida sicca censetur. Quibus quae Intercluduntur aetates, quo ortui viciniores fuerint, eo plus caloris et humoris habere creduntur.

Jam vero ex causis nobis extrinsecus occurrentibus aër et cibus necessitate praescribuntur. Ille temperando calori, hic reparando effluxui necessarius est, sed ille quidem citius, hic contumacius, spiritus humores, partesque solidas Immutat. Ille si putri aut pestilenti halitu conspurcatus fuerit, omnibus est perniciosus sed magis raro habitu praeditis. Quod si sola, ex qualitate excesserit, et similibus naturis Insidiatur, Ita contrariis opitulatur. Sic aestas morbis acutis copiosam praebens segetem sitibundis, frigidaeque potu temperandis Juvenibus hyems pituitae nutrix, tussiculosis senibus, Inaequalis autumnus libidinosis melancholicis: ver denique temperatum ac veri consortio (?) aptissimum, Impuris corporibus adversatur.

Alimentum autem licet sanitatis tuendae curandique morbi commune sit praesidium, tamen si cacochylum, multiplex aut Intempestive adhibitum fuerit, dyspepsiam, humorum cacochymiam, totiusque corporis cachexiam Inducit, Nunquam vero utilis est nimia satietas. hinc enim excrementorum magna congeries: Quibus obstructis apoplexia, et paralysis, putrescentibus febres putridae succedunt, Saepe etiam Inutilis longior abstinentia, quae humores fluxu si procedere viribus promovere, concitabile In nativum, corpus exsiccat, et extenuat, quam ob rem biliosis et Juvenibus nocet plurimum sicuti dulcia, salsa, et acria alimenta Quae omnia senibus et pituitosis maximum adferunt adiumentum.

Contrariis porro viribus nostri corporis symmetriam demoliuntur labor, et somnus: Ille calorem auget, corpus exsiccat, humores commovet: proinde plenis, Juvenis, Impuris corporibus Interdicendus. Somnus et si coctioni auxiliatur, longior tamen corpus refrigerat et humectat, sensus motusque viris una cum spiritu per nervos diffusos debilitat, sed et ab anima Insignis caloris Innati motus fieri Indicat multorum oxythymia. Quae omnia si ubi sine bacchos et veneri frigescenti, In mutando corpore eadem quisque si frequentius recolatur, corpus refrigerat, vires enervat, articulos offendit, mentem hebetat, calvitium accersit, Improperam morbum accersit. Quae tamen non omnino ad sanitatem tuendam est Inutilis, si nec corpus languor neque dolor consequatur.

Ergo Diaeta Naturam Immutat.

Proponebat Martinus Rapin Turonicus. 1575.

Dom. doctores disputaturi.

| | | |
|---|---|---|
| M. franciscus Du Port. | M. Guillelmus Lusson. | M. Mauricius de la Corde. |
| M. Joannes Girard. | M. Ægidius heron. | M. Petrus Rauyn. |
| M. Nicolaus Lambert | M. Joannes Beauchesne. | M. Joannes Rochon. |

F.M.P.